

400.

MEDICAE FACULTATIS DECANI  
**HERMANNI FRIDERICI  
TEICHMEYERI**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMIAE, CHIRUR-  
GIAE AC BOTANICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIII  
SERENISSIMI DVCIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIII  
ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SOCII

PROGRAMMA INVITATORIVM  
DE

**CEREBRO, COGI-  
TATIONVM IN.  
STRVMENTO**

DISSERTATIONI INAUGVRALI  
DE

**P O L Y P I S  
IN SPECIE CORDIS**

*DIE XVI, OCTOBR, M DCC XXIX.*

HABENDAE  
PRAEMISSVM

---

IENAE, DOMINICA XVIII. POST TRINITATIS  
M DCC XXIX.

---

LITTERIS MVLLERIANIS.

Anat.

B.

246,50

*anat. 234.*

HERMANN WILHELM  
FRIEDRICH  
MEDICAL FACULTY OF THE UNIVERSITY OF DRESDEN

PROGRAMMA  
DE  
DIPLOMATICA  
IN  
MAGISTERIO  
M.D.C.C.XXIX

CEREBRO, COGGI  
FATIONVM  
STREMENTO

DISSERTATION  
DE  
P O L Y P I S  
IN SPECIE CORDIS

PRÆSENTATA  
DIE VII OCTOBRII M DCC XXIX

PRÆSIDENTI

LENAE DOMINICA XVII POST PRINIATIS  
M DCC XXIX

LENNÆ MULLERIANIS



Inter abstrusa naturæ negotia abstrusissimum sane est cogitationum nostrarum opus: Hinc ab omni tempore merito inter primaria naturæ mysteria reputatum fuit, in quo plenarie detegendo sagacissimi naturæ scrutatores adhibita licet omni diligentia atque industria, frustra se tandem laborasse confessi sunt. Mirum propterea nemini videri debet, si Philosophi in delineanda hac cogitationum theoria tantopere titubaverint, ac in tam varias sententias diverterint. In primis dolendum, quod maxima Philosophorum pars doctrinam de cogitationibus mere metaphysice tractaverit, sive, ut Logici loquuntur, magis abstractivè de his egerit, quam concretivè, nullus vero eorum physice eam rem exponendam sibi sumserit. Unde omnem cogitationis vim animæ, corpori vero nullam tribuunt, eademque est vera ratio originis tot diversarum sententiarum. Ego cum in priori programme differuerim de animi sede, mentisque domicilium locaverim in centro cerebri medullari, septoque pellucido, utpote fon-

te, ex quo omnes nervorum motus exeunt, & in quem omnes impressiones, in organis sensoriiis instituta, recurrunt, proposui simul, non dubium esse, quin ipsae cogitationes in cerebro quoque peragantur. Etenim cogitationes non tantum sunt operationes mentis, sed & corporis simul, sive, quod idem est, certae repraesentationes, in mente factae, excitatae mediantibus chordarum nervosarum motibus.

Non errabimus ideo, si *cerebrum cogitationis machinam* vocemus. Haec thesis sane re ipsa nova non est, docueruntque illam iam suo tempore CARTESIVS, WILLISIVS, VIEVSSENIUS, BARTHOLOMAEVS de MOOR, & illustris quondam, nunc beatus WEDELIVS. Ego, in Elementis Anthropologiae meae, horum celeberrimorum virorum vestigiis institi, & cerebrum machinam animae esse, adserui. Quae, recte si illam consideremus, instrumentum quoddam musicum, ex multis chordis compositum, oculis nostris exhibet. Quot enim fibrae cerebri medullares sunt, tot chordae huius instrumenti musici existunt. In hoc organo musicum agit anima, & quamvis modus operationum a priori nobis sit incognitus, sufficere nobis potest, scire hoc a posteriori.

Illustris Medicus, & Regis Galliae Consiliarius, Dn. IOANNES ASTRUCIVS, almae Monspeliensis Academiae Prof. P. O. celeberrimus, in Dissertatione quadam de *naturali & praeternaturali iudicii exercitio*, quoque hanc theoriam de cerebro, instrumento musico, & cogitationum organo, proposuit. Et quamvis hic consummatissimus vir post me scripserit, similes tamen de hac re fovet sententias.

Sciendum itaque, cogitationem omnem consistere in certo motu chordarum cerebri, qui quasi excitat certum sonum, sive tonum musicum. Hic motus & tonus in nobis constituit ideam. Idea distincta est conveniens, atque perfectione sua gaudens chordae, vel chordarum motus. Confusa vero ex imperfecto motu oritur. Quando repetitur talis motus, de novo in nobis pristina excitatur idea. Quam ideae repraesentationem reminiscenciam vocamus. Cum anima sollicita est de re quadam in memoriam vocanda, diversi in cerebro chordarum nervosarum interdum produ-  
cuntur

cuntur motus, qui quam diu ideæ, quam anima intendit, non accommodati sunt, tam diu ab ea feiiciuntur, donec tandem eiusmodi motus proveniant, qui ideam desideratam animæ sistat, & quoniam hoc motu vicinæ simul afficiuntur chordæ, simul etiam aliæ ideæ in mentem veniunt, ac in ea quasi regenerantur. Et quemadmodum una chorda instrumenti musici diversimode pressa atque commota, diversum edit tonum & sonum: Ita & in una chorda cerebri per varios motus, ibi excitatos, diversa & multifaria nasci potest idea. Si enim una chorda cerebri destinata esset ad unicam tantummodo ideam capiendam, & continendam, cerebrum eruditi stupendæ eruditionis tot myriadibus idearum, tum verborum, tum rerum, capiendis impar esset, quoniam tot chordæ vix in cerebro eius existere possent. Dubiam itaque esse puto illustris ASTRUCII sententiam, qui statuit, simplicem ideam esse unius cerebri chordæ motum, compositam plurium chordarum, simul vibratarum, oscillationem.

Si chordarum nervosarum tractus in cerebro intercipitur per morbum, inflammationem, qualis fit in phreniticis, perceptio quidem in organo conveniens fit, sed illa non pertingit debito modo, per motum tremulum nervorum, ad centrum cerebri medullare, vel ad septum pellucidum. Hinc motus ille non recte diiudicatur, quoniam aliter sese habet in sensorio organo, aliter in cerebri centro. Errat sic iudicium, & anima eiusmodi phrenitici ex musca sibi format vaccam, vel aliud quid. Si vero chordarum nervosarum motus, in organo quodam sensorio instituti, usque ad ultimam cerebri extremitatem non interrupti progrediuntur, conveniens fit ideæ repræsentatio.

Chordæ cerebri, atque nervorum a fluido nerveo, sive spiritibus elasticis expanduntur. Hinc si spiritus adsunt sufficientes, vis recte cogitandi, sagaxque ingenium præsto est, sive, ut CICERO loquitur, *ingenium, par laboribus*; si vero deficiunt spiritus, vel nulla adest cogitatio, ut plerumque hoc in dormientibus contingit, vel debilis, ut in senio decrepitis personis, imo ex morbo quodam

dam languentibus. Huius theſeos veritas exinde ſimul patet, quod illa remedia, quæ cerebrum confortant, augere poſſunt ſimul vim cogitantem, & ſpeciatiim vim memoriæ. Porro eluceſcit ex hac theoria, illum eſſe modo prudentem, docilem, & penetranti iudicio præditum, in quo partim chordarum nervoſarum cerebri perfecta eſt ſoliditas, craſſities & tenſio, iuxta etiam elasticitas, conveniensque diſpoſitio. Hinc pueris atque infantibus debile eſt iudicium, ob nimiam cerebri mollitiem. Senes contra ob nimiam cerebri ſoliditatem viribus legitime cogitandi deſtituuntur.

Qui in prima formatione, ſive prima ſtaminum ovuli explanatione, in conceptionis momento facta, impetravit egregiam cerebri ſtructuram, eamque, per totam iuventutem, uſque ad annum vigefimum quintum integram & inconcuſſam conſervavit, ille in media ætate poſſidet vires animæ excellentes, virque evadit ſtupendi & penetrantiſſimi iudicii, atque ingenii. Qui vero per morbos, quos aut in utero materno, aut etiam in iuventute perpeſſus eſt, vel per intempeſtiva ſtudia, vel per violentiam externam, ebrietatem, venerem immodicam, ſuam lædit cerebri ſtructuram, ille imminuit rectæ cogitandi vires. Anima enim non aliter agere poteſt, quam ſecundum cerebri formationem, quæ ſi perfecta eſt, hominem præſtat prudentem, imperfecta vero ea exiſtente, homo erit ſemper ſtupidus. Si chordarum nervoſarum ſyſtema in toto corpore humano conſentit, conſenſu quodam harmonico, omnia florent, homo ſanus eſt, hilaris, tractabilis, vel, uti Galli loquuntur, homo ſui ſeculi. Si vero chordæ nervoſæ inter ſe diſſentiunt, homo eſt moroſus, malignus, ſocietatis & amicitia inimicus.

Denique probabile eſt, omnia genera idearum eſſe in certo cerebri loco. Hoc enim probant ſtrata nervoſa, quæ in corpore calloſo, & fornice obſervantur. Probat quoque hoc ſtupenda ventriculorum, corporum ſtriatorum, centri ovalis & ſemiovalis, corporum annularium WILLISII, apophyſium cerebri maiorum & minorum, aliorumque organorum in cerebro ineffabilis formatio. Sed de hiſ fortassis alia occasione,

Hanc

Hanc de cogitationibus sententiam proponere volui occasione Clarissimi artis medicæ candidati,

## IOANNIS CHRISTIANI DE WINTERBACH,

qui ex antiqua, generosa, & celebri familia ortus, lucem primam adspexit anno huius seculi sexto, die X. mensis Aprilis, in libera imperiali Franconiæ civitate, Rotenburgi ad Tubarim. Patrem nactus est virum generosum, ac prænobilissimum, Dominum IO. CHRISTIANVM de WINTERBACH, Senatus Assessorem, & quæsturæ præpositum; Matrem vero omnium virtutum genere ornatissimam fœminam, VRSVLAM MARGARETAM, Illustris quondam, nunc b. Consulis, Dn. GEORGII WALTHERI, filiam. Horum venerandorum candidati nostri parentum cura præcipua erat, ut moribus decentibus, vera Christiana religione, atque litterarum elementis imbueretur. Commiserunt eum ideo primum domesticis præceptoribus, postea vero quoque usus est institutionibus fidelissimis clarissimorum inclyti Gymnasii patriæ suæ præceptorum. Inter quos laudat Dn. IO. CHRIST. ADAMI, Con-Rectorem, nunc piæ memoriæ, & Dn. ANDREAM SAMVELEM GESNERVM, Rectorem meritisimum, adhuc viventem. Cum vero studio medico se consecrare decrevisset candidatus noster; sub auspiciis & moderamine prudenti prænobilissimi & experientissimi viri, Dn. GEORG. PHILIP. SAUBERI, Med. Lic. nunc Physici L. I. C. Windsheimensis, primam in physicis, anatomicis & physiologicis sibi acquisivit cognitionem fundamentalem. Adulto postmodum ingenii robore, anno XXV. huius seculi, mense Aprili, in almam hanc Salanam a parentibus suis missus, atque a Magnifico t. t. Pro-Rectore, Dn. D. IO. CHRIST. SCHROETERO, Icto consumatissimo, in numerum Studiosorum receptus, primum philosophicis strenuo incubuit studiis. Hinc Celeberrimi Philosophi, D. IO. IACOB. SYRBI, collegia philosophica, Celeberrimi D. P. SCHMEIZELII collegia statistica, politica ac historica, & Dn. M. KOEHLERI collegium logicum sedulo visitavit.

tavit. In physicis, tum theoreticis, tum experimentalibus, item mathematicis, anatomicis, & physiologicis, præceptorem habuit Celeberrimum Dn, Doct. & Professore, GEORGIVM ERHARDVM HAMBERGERVM, Illustrem autem Consiliarium Aulicum, & Facultatis nostræ Professore primarium, D.D. IO. ADOLPHVM WEDELIVM, summa cum sedulitate auscultavit, prælegentem Chemiam, Pathologiam, febriumque theoriam, & praxin, nec neglexit plantarum demonstrationem, ac sectionem publicam cadaveris masculini, a Celeberrimo Dn, Dr. IO. IACOB. FICKIO, P. P. O. publice susceptam. Ex Magnifici Domini Pro-Rectoris, Dn. Doct. SIM. PAVL. HILSCHERI, discursibus physiologicis, pathologicis, ac methodo de præscribendis formulis medicis, egregium fructum reportavit. Grata mente quoque recordatur favorem b. D. D. STUVENII, cuius collegia physiologica, pathologica, semiotica, practica casualia, morborum infantum atque mulierum, magna cum profectuum suorum accessione frequentavit. Hisce iunxit denique meos labores physiologicos, botanicos, chirurgicos & anatomicos, & cum ante annum in theatro publico cadaver femininum a me disseicaretur, constans permansit spectator atque auditor. Absoluto ita, ad votum omnium, studio academico, iussu generosorum suorum parentum modeste & observanter nomen suum apud Facultatem nostram professus est, atque in examinibus consuetis eruditionem suam nobis sufficienter probavit. Restat modo dissertatio inauguralis, quam ex decreto Facultatis nostræ meo sub præsidio habebit d. XXII. Octobris. Huic actui solenni, ut Magnificus Dominus Pro-Rector, Illustrissimi Domini Comites, Patres academiae venerandi, hospites omnium ordinum dignissimi, ac generosorum nobilissimorumque Dominorum commilitonum corona, gratiosissimam atque benevolam suam præsentiam commodare dignentur, observanter nomine Collegii mei rogo atque contendo. Ienæ P. P. sub sigillo Facultatis,  
 Dominica XVIII. post Trinitatis,

(L.S.)

Anat B 246, 50